

Differtt. miscell.
vol. 51. G. IX. 33



I. N. 7.

COLLĒGIUM AN-
TI-SOCINIANUM,

SECUNDUM

SOCINISMUM PROFLIGATUM,
PER UNIVERSAM THEOLOGIAM,
THESISIBUS SUCCINCTIS,

CONTROVERSIAS POTIORES

COMPREHENDENS:

INTER

PRÆCELLENTEs, PRÆCLARISSIMOS, ET PRÆEXIMIOS
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ ADJUNCTOS,
NEC NON MINISTERII, UT ET SS. THEOLO-
GIÆ CANDIDATOS,

IN UNIVERSITATE ELECTORALI

SAXONICA,

QVÆ WITTEBERGÆ EST,

SUB DIRECTIONE


D. ABRAHAM CALOVII,

P. P. PRIMARII,

DISPUTATIONIBUS DOMESTICIS

EXPOSITUM,

ANNO DOMINI *cl*o *lxx* LXXIX.



WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI.

NOMINA DISPUTANTIUM.

CLASSIS I.

- M. JOH. FRIDERICUS *Schulze* / Jutreb. Saxo, Fac. Phil. Adj.
M. JOHANNES JACOBUS *Enselohr* / Reutlingensis.
M. GEORGIUS FRIDERICUS, *Meinhard* / Arnstadiâ + Thurs.

II.

- M. JOHANNES *Müller* / Ord. Phil. Adjunct.
JOHANNES HENRICUS MAJUS, Phorcensis.
M. JOHANNES *Deutsche* / Suerino-Polonus.

III.

- M. PAULUS PLATANI, }
M. GEORGIUS GASSITZIUS, } Hungari.
M. ESAIAS PILARICK, }

IV.

- M. JOHANNES CHRISTIANUS *Saueressig* / Witteb. Saxo.
SAMUEL *Berche* / Dantiscanus.
M. JOHANNES CHRISTOPHORUS *Kosteuscher* / Dantiscanus.

V.

- M. JOHANNES HELVICUS WILLEMER, Mœno-Francof.
M. CHRISTIANUS SAMUEL *Ziegra* / Witteb. Saxo.
JOHANNES POLZIUS, Lubecensis.

DISPUTATIO I.

THESIS I.

Sociniani rectè vocantur Ebionitæ, Cerinthiani, Samosatensiani, Photiniani & Arriani.

II. Rectè etiam dicuntur Abailardiani, & Servetiani, vereque sunt Hæretici.

DISP. II.

I. Religio Sociniana non est Christiana.

II. Non tam evertit Papatum, quàm in sinu fovet.

III. Non habet ea, quæ ad veram Dei, & Christi gloriam, ad pietatem, & ad spem vitæ æternæ maximè faciunt.

IV. Ad Religionem & fidem salvificam non sufficit cognitio præceptorum & promissorum Dei, nedam sola præceptorum cum notitia vitæ æternæ.

DISP. III.

I. Scripturæ S. certitudo est infallibilis.

II. S. Scriptores labi non potuerunt, nec uspiam lapsi sunt.

III. Scriptura S. profusè est incorrupta, nec ulli ejus libri Canonici deperditi sunt.

IV. Scriptura S. continet omnia, quæ ad salutem creditæ sunt necessaria, idq; expressè, nec ambigua est.

V. Scriptura S. per se fide digna est.

VI. Scriptura S. Veteris Test. ejusdem est valoris cum Scriptis Novi Test. sufficitq; ad convincendos Judæos.

DISP. IV.

I. Scriptura S. sine Spiritus S. illuminatione salutariter intelligi non potest.

II. Nec tamen innitendum est immediatis revelationibus in explicandis Scripturæ S. vaticiniis, aliisque testimoniis.

III. Litera Scripturæ, ob judicium humanæ rationis, relinquenda non est.

IV. Figuratæ locutiones & parabolæ etiam certas probant doctrinas.

V. In Scripturæ S. expositione non sufficit dicere, quis sensus esse possit, sed docendum est, quis sensus esse debeat.

DISP. V.

I. Notitia de DEO certa haberi potest è creaturarum consideratione.

II. Estq; etiam *θεωγνωσία* omnibus naturæ insita, minimè tamen ad salutem sufficit.

DISP. VI.

- I. Nomina יהוה, יי, אל, & אלה uni & soli DEO conveniunt.
- II. Similiter & nomen אלה in excellenti significatione, & nomen κύριος, nec non nomen θεός in usu proprio, quod non potestatis solum, & eminentiæ, sed naturæ divinæ nomen est.

DISP. VII.

- I. Accurata DEi definitio non est, quod sit is, qui à seipso potestatem divinam super nos habet, nec in potestate divinâ præcisè sita est divina natura.
- II. DEus non ita est Spiritus, ut aër, & alia subtiliora corpora.
- III. DEus omninò infinitus est.

DISP. VIII.

- I. DEus non est nisi unus, nec alius credendus est subordinatus DEus.
- II. Nihil æquale DEo esse potest, aut coæternum.
- III. DEus simpliciter est immutabilis, nec ulla in DEum cadunt accidentia.
- IV. Et Potentia, & Scientia DEi est infinita.
- V. Misericordia, & Justitia DEi essentialis est, nec ullo modo DEus causa peccati esse potest.

VI. DEo honorabilior nullus est, nec DEus in sui locum quemquam substituere potest.

VII. DEus adorandus præprimis est ob gloriam & ob naturam divinam, ideoq; nulli gloria adorationis convenit, cui nec competit divina natura.

VIII. In DEo non datur desiderium, spes, aut lætitia, non contrarium quid, ceu affectus DEi.

DISP. IX.

I. Non una tantum, nec duæ solùm, sed tres dantur personæ divinæ, non verò plures sunt, nec esse possunt.

II. Verus naturâ DEus non solus Pater est, sed Filius & Spiritus S. juxta cum Patre.

DISP. X.

I. Filius DEi ante conceptionem verè extitit, & ab æterno fuit.

II. Estq; verus & naturâ DEus.

III. Filius Dei non est adoptivus, nec ob similitudinem tantum cum DEo, & amorem Dei, aliasve ejusmodi causas, sed naturalis, ab æterno à Patre genitus.

IV. Chri-

IV. Christus non est Filius Dei ob conceptionem à Spiritu S. non ob sanctificationem, & missionem à Patre, non ob resurrectionem à morte, aut exaltationem ad imperium, & summum sacerdotium.

DISP. XI.

I. Spiritus S. verè est persona.

II. Spiritus S. verus est Deus.

III. Spiritus S. procedit à Patre, & à Filio ab æterno: non verò est proprietas in Deo, aut virtus Dei naturalis, quâ homines sanctificantur, nec afflatus divinus.

IV. Spiritus S. unus tantùm est, non plures.

V. Spiritus S. non est ipsum Evangelium, nec spes vitæ æternæ.

DISP. XII.

I. Imago Dei, ad quam primus homo fuit conditus, sita fuit in Sapientia & Justitia, quæ ipsi concreata fuit, & ad posteros propagari debuit.

II. Nec in facultate rationali propriè, nec in Dominio super creaturas præcipuè Imago Dei sita fuit.

III. Homo ante lapsum naturâ fuit immortalis.

DISP. XIII.

I. Non tantùm pro se prævaricati sunt Protoplasti, sed in ipsorum personâ prolapsus est totum genus humanum.

II. Per peccatum primum deperdita imago Dei, & natura humana corrupta, & depravata est.

III. Primorum parentum peccatum, non occasio tantùm mortis fuit, sed etiam causa.

DISP. XIV.

I. Non poena tantùm prævaricationis Adamiticæ, sine culpâ, transit ad posteros, sed etiam culpa ipsa.

II. Homines post lapsum nascuntur in peccatò, & originali peccato naturâ infecti sunt.

III. Concupiscentia vel pronitas ad peccandum propriè peccatum est, & connata illa proclivitas non à proximis progenitoribus est, sed à primis parentibus humani generis.

IV. Peccato sunt obnoxii omnes homines, citra ullius exceptionem.

V. Non-renati, viribus naturæ propriis, etiamsi accedat externa divina revelatio, nihil præstare in spiritualibus possunt.

VI. Homo non habet post lapsum liberum arbitrium præcepta Dei servandi, nec vires per naturam obtinet, voluntatem Dei præstandi.

DISP. XV.

I. Lex Dei, quatenus à Mose tradita, non imperfecta fuit, sed perfecta, sanctitatisq; ac sapientiæ laudem omninò meretur.

II. Invocatio Dei præcepta est in lege divina, ut in primæ legis tabulæ, ex legis præscripto, invocandus sit.

III. Non interdicta fuit penitens in lege fabricatio imaginum.

IV. Nusquam in lege præceptum fuit inimici odium.

V. Voluptas & luxus in cibo, potu, & vestitu, qui jam prohibitus est, in Vet. Test. quoq; prohibitus fuit: ut & otiosi sermones, mendacia, convitia, & maledicta.

VI. Non concessum fuit in lege divina plures ducere uxores, aut concubinas alere, nec uxorem repudiare.

VII. Nemo hominum potest legem Dei perfectè implere.

DISP. XVI.

I. Æternus Dei Filius assumpsit humanam naturam in tempore, verèq; incarnatus est.

II. Duæ sunt in Christo distinctæ naturæ, Divina & Humana.

III. Christus, quoad nativitatem temporalem, è tribu Juda, & pro-
sapiâ Davidis traxit originem.

IV. In nativitate Christi temporali non præstitit id Deus, quod Pa-
tres in filiorum procreatione præstare solent.

DISP. XVII.

I. Christus non nisi semel ascendit in cœlum, adeoq; eò non assum-
tus est sub auspiciis muneris Prophetici, nec aliàs ante resurrectionem.

II. Christus non reddidit legem Mosaicam perfectiorem, nec adau-
xit tabulam primam, vel secundam additamentis quibusdam.

III. Christus non tulit leges novas, nec pro talibus habenda præce-
pta de abnegatione nostri, de perferendâ cruce, de sequelâ Christi.

IV. Christus non attulit demum in Novo Test. promissiones de pec-
catorum remissione, de Spiritu S. de vitâ æternâ.

DISP. XVIII.

I. Non mortuus est Christus eò tantùm fine, quoad nos, ut volunta-
tem Dei confirmaret.

II. Falsum est, per mortem Christi, propter resurrectionem ejus, de
salute æternâ consequendâ, nos certiores reddi exemplo Christi.

III. Non corporalem tantùm mortem sustinuit Christus, sed infer-
nalem etiam mortem perpessus est.

IV. Non

IV. Non pro nostris solum peccatis sub N. T. sed pro omnium hominum peccatis inde ab origine mundi, mortuus est Christus.

V. Peccata nostra non solum ideo causa mortis fuere, quod ea impedierint spem firmam remissionis peccatorum, sed quod ea luenda fuerint a Christo pro hominibus.

VI. Non eatenus tantum parit remissionem peccatorum mors Christi, quam impellit nos ad conditionem, sine quam non fit remissio, nec quam solum est medium quoddam, & instrumentum perficiendae remissionis peccatorum, sed quatenus eadem acquisita, & parta nobis est remissio peccatorum.

DISP. XIX.

I. Christus non Sacerdos est, nobis Dei nomine aliquid praestando, sed potius Deo praestando nomine hominum, quod illi debebant praestare.

II. Falsum est, per Sacerdotium Christi nihil aliud significari, quam quod nostri curam gerere Christus velit, & gerat, uti Rex dicatur, quod nostri curam gerere possit.

III. Christus non demum, cum ascendit in coelum, sacerdos factus est, sed sacerdos jam fuit ante ascensionem.

DISP. XX.

I. Non admittendum est, Sacrificium Christi nihil aliud esse, quam liberationem fidelium, vel purificationem peccatorum nostrorum.

II. Sacrificium Christi non consistit in apparitione Christi in caelis, neque jugis est, & perpetua Christi oblatio.

III. Mors Christi non fuit praeparatio tantum sacrificii Christi expiatorii, sed sacrificium Christi peractum fuit ipsa morte Christi.

IV. Non aliud, sed illud corpus, quod Christus in terris habuit, obtulit in sacrificio suo.

V. Non pro se obtulit Christus corpus suum, sed pro nobis.

DISP. XXI.

I. Deus nec potuit salvam justitiam suam, nec voluit nobis peccata condonare, sine ulla satisfactione.

II. Christus verè satisfecit pro peccatis nostris, ita ut pro nobis surrogatus fuerit in passione & morte sua, ac peccata nostra in ipsum, ceu sponsorem nostrum, translata; & vindicata sint in ipso peccata hominum, adeoque mors ejus fuerit poena & satisfactio pro peccatis nostris.

III. Verè redemit nos Christus: verè reconciliavit nos Deo, morte sua: nec expiavit tantum peccata nostra, qua potestatem accepit nos ab aeterna morte vindicandi; sed quia Deum, ad peccata nobis condonanda, no-

da, nobis propitium reddidit, culpamq; peccatorum nostrorum relaxavit.

DISP. XXII.

- I. Sacrificia expiatoria V. T. omnia adumbrarunt mortem Christi.
- II. Sacrificia Vet. Test. verè quidem expiarunt peccata, non autem per se, sed virtute sacrificii Christi.
- III. Hircus *ἀποπομπῆς* non ceremonia, & imago solùm fuit, representans remissionem peccatorum, absolutâ factam Dei gratiâ, aut confessio tantum scelerum, sed expiavit peccata populi.
- IV. Præfiguratio sacrificiorum Vet. Test. non in eo sita fuit, quod illis tantùm leviora, per Christum autem graviora expiata sint peccata, sed quod figura illa fuerint universalis omnium peccatorum expiationis, per mortem Christi factæ.
- V. Per sacrificia in V. Test. expiata fuerunt peccata omnia populi.
- VI. Et sacrificia, & Sacerdotium summum in Vet. Test. figura fuere satisfactionis Christi.

DISP. XXIII.

- I. Christus per se non fuit legi obnoxius, sed nostri locò implevit legem.
- II. Christus verè intercedit pro nobis in caelis.
- III. Typus Christi sacerdos fuit in Vet. Test. quâ precibus suis expiationem peccatorum impetravit.

DISP. XXIV.

- I. Officium Christi Regium maximè differt à sacerdotali, non verò cum eò unum idemq; est.
- II. Christus ante mortem non designatione solùm Rex fuit, sed supremum jam habuit in homines, angelos, diabolos, & mortem ipsam potestatem; nec non potestatem concedendi Spiritum S.
- III. Christus non est vicarius Dei in regimine Ecclesiæ, nec dominatur loco Dei Patris, vel ut jam non dominetur Deus Pater, nec ipse jam subjectus Patri sit.
- IV. Christus non absens, sed præsens dominatur in terris.
- V. Regnum Christi nunquam habebit finem, sed in æternum durabit.

DISP. XXV.

- I. Status exinanitionis Christi non in eo consistit, quod dum potuerat rex esse regiam dignitatem rejecerit, & formam vulgaris hominis assumeret: nec ad statum illum tantùm passionis, mortis, & sepulturae tempus pertinuit.
- II. Christus non promeruit sibi morte suâ exaltationem, etsi exaltatio mortem consequuta sit.
- III. De-

III. Descensus ad inferos verè ac realiter factus est, non verò nudus status solùm mortis per descensum Christi designatur.

IV. Christus à mortuis resurrexit propriâ virtute.

V. Non deposuit Christus, in ascensione in cœlum, corpus suum, sed etiamnum in cœlis carnem & sanguinem habet.

VI. Ad invocationem Christi obligati sumus, nec in iis tantùm invocandus est, quæ ad Ecclesiam pertinent, sed in omnibus.

VII. Christus pari omninò honore cum Patre colendus est, fidesq; communiter in ipsum collocanda.

DISP. XXVI.

I. Homo nec convertere seipsum potest, nec aliquid ad conversionem sui conferre, neq; prærequiritur in convertendo quædam animi probitas ad conversionem.

II. Causa nostræ regenerationis est Spiritus Sanctus.

III. Regeneratio propriè non est vitæ antea actæ reformatio, nec rectè per integram animi, & actionum mutationem definitur.

IV. Infantes verè regenerantur, & credunt.

V. Veri etiam filii Dei fuerunt in V. T. & ante exaltationem Christi.

DISP. XXVII.

I. Justificatio nostra non minùs è Vet. T. quàm Novi scriptis addisci potest, ac confirmari, nec patefacta primùm est justificatio per fidem à Christo, neq; alia est justificationis ratio in N. T. quam in Veteri.

II. Non potuit nobis justificatio contingere citra & extra Christum, neq; nisi falsò causa principalis justificationis nostræ constituitur absoluta Dei gratia, sine meriti Christi intuitu.

III. Obedientia nostra non est justificationis causa: neq; in eo consistit justificatio, quod Deus justum reputet, ac pronunciet eum, qui per se justus est, sed in remissione peccatorum.

IV. Deus non remittit peccata, nisi illis, qui in Christum credunt: nec nisi per sanguinem, & mortem Christi remissionem peccatorum consequimur.

V. Remittuntur ex gratiâ peccata omnia, etiam ea, quæ à renatis ex habitu peccati committuntur, nec aliâ ratione expiantur peccata, post conversionem, quàm ante conversionem perpetrata.

VI. Neq; desperare habent remissionem peccatorum, qui sub finem vitæ convertuntur.

VII. Peccatum in Spiritum S. non remittitur,

B

IIX. Non

IIIX. Non justificamur per imitationem justitiæ Christi, sed per ejusdem imputationem.

IX. Plena est in hac vitâ peccatorum remissio, & justificatio.

DISP. XXIX.

I. Fides salvifica non est, sub spe veniæ Deo obedire; nec observantia præceptorum est forma fidei justificantis.

II. Fides justificans & salvifica est fiducialis applicatio gratiæ Dei in Christo, vel meriti Christi.

III. Falsum est, neminem verbis Christi fidem adhibere posse, quin totò pectore ipsi confidat & obediat; & impossibile esse, Deo eum non confidere, qui certus est, quod Christus à mortuis resuscitatus sit.

DISP. XXIX.

I. Certum est, Deum ab æternò certos quosdam nominatim ad salutem elegisse.

II. Electi ad salutem æternam perire non possunt.

III. Electio ad æternam vitam non est facta ex operibus nostris, sed ex intuitu fidei.

DISP. XXX.

I. Falsò docetur, bona opera esse necessaria ad salutem, & ab illis, qui salvari volunt, nihil requiri unquam aliud, præterquam bona opera.

II. Depravatio doctrinæ de justificatione est, quòd perfecta solum opera excludantur à justificationis & salutis causâ, non imperfecta.

III. Sanctitas & justitia nostra in hac vitâ non perfecta est, sed multis modis imperfecta.

DISP. XXXI.

I. Pœnitentiâ omnes opus habent, nec dantur ulli pœnitentiâ haud indigi.

II. Fides non est consequens pœnitentiæ, sed pars ejusdem.

III. Nova obedientia non pars est, sed consequens pœnitentiæ.

IV. Pœnitentia formaliter non est reformatio totalis vitæ, nec à fer-
vitate peccati liberamur ita, ut à carne nunquam captivemur.

V. Auricularis Confessio non immeritò retinetur in Ecclesia nostra.

DISP. XXXII.

I. Per sacramenta confertur nobis gratia Dei.

II. Sacramenta faciunt ad oblationem gratiæ Dei & promissionum Evangelicarum.

III. Doctrina de Sacramentis omninò concernit fundamentum salutis.

DISP.

DISP. XXXIII.

I. Baptismus aquæ mandatus, & institutus est à Christo, non verò liberè usurpatus ab Apostolis, & ad omnes spectat, ac suscipi debet ab omnibus, qui Christiani sunt.

II. Falsum est, Johannis Baptismum prorsus diversum fuisse à Baptismo Christi & Apostolorum.

III. Baptismus non est tantum publica fidei Christi professio, sed medium regenerationis, & renovationis nostræ, & collationis Spiritus S.

IV. Pædobaptismus consentaneus institutioni Christi, & infantes rectè baptifandi omninò sunt, ut regenerentur.

DISP. XXXIV.

I. Verba institutionis S. Coenæ intelligenda sunt *κατὰ τὸ ρητὸν*, nec hoc solum inferunt, quod hic ritus commemoratio sit, vel signum Passionis Christi, neq; in eo natura hujus Sacramenti consistit.

II. In S. Eucharistiâ verè, ac substantialiter præstò sunt corpus & sanguis Christi.

III. Corpus Christi unà cum pane eucharisticò manducatur: sanguis Christi unà cum vinò benedictò bibitur ore, ab his, qui ad sacramentum accedunt.

IV. S. Coena non instituta potissimum tantum est, ad commemorationem mortis Domini, sed etiam ut nos commonefaciat ejusdem, & ad fidei confirmationem, ac spiritualem corporis & sanguinis perceptionem, nostramq; ad vitam æternam sustentationem.

V. Fractio panis, in actu Coenæ, non est necessaria, sed *ἀδιάφορον*.

DISP. XXXV.

I. Necessè est Ecclesiam perpetuò durare.

II. Opus est inquirere veram Ecclesiam, ut ei quis aggregetur.

III. Verbum & Sacramenta notæ sunt Ecclesiæ.

IV. Neutiquam coire possunt in unam Ecclesiam Lutherani cum Reformatis, & Socinianis.

V. Certum est, dari jam Ecclesiam in coelis triumphantem.

DISP. XXXVI.

I. Ad ministerium Ecclesiasticum opus est vocatione.

II. Sacramentorum dispensatio prærequirit vocationem, & ministrorum vocatorum ad Ecclesiam propria est.

DISP. XXXVII.

I. Ecclesiæ licet aliquem Satanæ tradere,

II. Ec-

II. Ecclesia uti potest, in executione disciplinae Ecclesiasticae, subsidio secularis potestatis.

III. Haeretici exilio, aliisque poenis, jure afficiuntur.

IV. Ob defectum Ecclesiasticae disciplinae, coetus nostri Ecclesiae nomine indigni perperam censentur.

DISP. XXXIIIX.

I. In Constitutione Ministrorum Verbi utilis est ordinatio, & ritus impositionis manuum.

II. Altaria, luminaria, vestes albae, hostiae in S. Coena, aliaeque; penes nos usitatae caeremoniae, temere reprobantur, ceu merae superstitiones.

III. Non permittendum, ut abstemii aquam loco vini adhibeant in S. Coena.

IV. Festa Sanctorum rectius omitti, quam retineri, temere asseritur.

DISP. XXXIX.

I. Magistratus Christianus flagitiosos jure plectit capite, etiam adulteros, & fures.

II. Magistratui Christiano licet adversus hostes, Reipublicae pacem turbantes, bellum gerere, & quilibet Christiano bello adversus eos militare potest.

III. Ad vindicandas injurias licet Magistratus officium & opem implorare.

DISP. XL.

I. Polygamia in Vet. Test. verè peccatum fuit.

II. Privata defensio, etiam ad internecionem usque; hostis, nos interficere volentis, licita est.

DISP. XLI.

I. In morte non redigitur corpus hominis in nihilum.

II. Anima hominis proprie est immortalis.

III. Separatae animae fidelium fruuntur visione Dei, & caelesti beatitudine: infidelium afficiuntur inferni poenis.

DISP. XLII.

I. Eadem corpora, quae hic gerimus, resurrectura sunt à mortuis.

II. In resurrectione non donabuntur nobis corpora substantiae ratione prorsus spiritualia.


DISP. XLIII.

I. Gradus praemiorum fidelium, & suppliciorum impiorum diversi futuri sunt.

II. Diaboli, atque impii aeternis suppliciis, & cruciatibus, finem non habituris, torquebuntur, non verò penitus annihilandi erunt.

✻ (o) ✻





Aug. VI 215

ULB Halle
001 923 099


3



TA → OL

VD 17 Z







I. N. 7. 1679
COLLEGIUM AN-
TI-SOCINIANUM,

SECUNDUM
SOCINISMUM PROFLIGATUM,
PER UNIVERSAM THEOLOGIAM,
THESIS SUCCINCTIS,
CONTROVERSIAS POTIORES

COMPREHENDENS:
INTER
PRÆCELLENTESS, PRÆCLARISSIMOS, ET PRÆEXIMIOS
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ ADJUNCTOS,
NEC NON MINISTERII, UT ET SS. THEOLO-
GIÆ CANDIDATOS,

IN UNIVERSITATE ELECTORALI
SAXONICA,
QVÆ WITTEBERGÆ EST,
SUB DIRECTIONE
D. ABRAHAM CALOVII,
P. P. PRIMARIJ,
DISPUTATIONIBUS DOMESTICIS
EXPOSITUM,

ANNO DOMINI *clō lxxix.*
WITTENBERGÆ,
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI.